Zu der am 13. August 1859

abzuhaltenden

Prüfung aller Klassen

des Königlichen Katholischen Gymnasiums

zu Glatz

und zu der am 16. August c., früh um 8 Uhr

stattfindenden

Schluss-Feierlichkeit

ladet ergebenst ein

das Lehrer-Collegium.

Inhalt: De nonnullis Taciti locis disputatio. Von Prof. Dr. Heinisch.

Schulnachrichten von dem Director.

Druck von Georg Frommann in Glatz.

1859

Adnotationes ad locos quosdam Taciti difficiliores.

Fasc. VI.

Scripsit Dr. Heinisch.

Ann. I. 32.

„Id militares animos altius conjectantibus praecipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod neque disjecti, nil paucorum instinctu, sed pariter ardescerent, pariter silerent, tanta aequalitate et constantia, ut regi crederes.“

Difficultati, quam praebent verba neque disjecti, nil paucorum instinctu, ita mederi studuerunt interpretes, ut nil in vel aut in nec mutarent; mihi vero commodius id fieri posse videtur transponendis neque et nil vocabulis, ut legatur

„quod nil disjecti neque paucorum instinctu“

intellecto verbo agerent, quod haud raro a Tacito omitti constat. Quod si statuerimus, vocabula disjecti et pariter i. e. cuncti (Hand Turcell. IV, p. 391) inter se sunt opposita, ut Ann. IV. 2. diductus et pariter, atque ut in priore sententiae parte verba neque paucorum instinctu distinctiori verbi disjecti inserviunt definitioni, ita in altera, ut adverbium pariter accuratius definiatur, addita sunt tanta aequalitate etc.

Tac. Ann. I. 59.

„Coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium hominum.“

Neminem jam fore puto, qui hanc Medicei codicis scripturam defendendam suscipiat. Conjectura igitur quum opus sit ad locum sanandum, ex omnibus, quae

1 *

adhuc tentatae sunt, emendandi rationibus una illa, qua vocabulo hominum in dominum mutato legendum est: redderet filio sacerdotium, dominum, tam prope vestigia sequitur exempli Florentini tamque ad sensum videtur apta, ut palmariam eam judicarem, si aliquae, quae mihi obortae sunt, removeri possent dubitationes. Quas si ingenue proferam, pace id fieri velim auctoris clarissimi. Primum enim, id quod ab aliis jam est notatum, in hac Arminii oratione, quam probris refertam fuisse ipse dicit Tacitus, vocabulum offendit sacerdotium tam nude positum, desideraturque aliquid, quod rem per se ipsam contemptu haud dignam, indignam reddat libero Germano. Deinde asyndeton illud sacerdotium, dominum, haud scio an nulli eorum, quae vulgo statuuntur, subjici possit generi. Nam neque contraria sunt haec vocabula, neque talia, ut alterum alterius inserviat explicationi, neque ita natura similia, ut ex altero ad alterum quasi gradus quidam fiat, neque locus ita comparatus, ut, quum plura ejusdem generis commemorare potuerit Arminius, in duobus his afferendis acquievisse putandus sit. Denique concinnitati, cujus Tacitum quum in aliis operis sui partibus, tum maxime in orationibus constat esse studiosissimum, id minus videtur respondere, quod, quum in priore enuntiationis membro unum tantum cum attributo suo sit objectum, in altero duo jam legantur eaque plane inter se diversa. Omnia haec incommoda amoveri posse arbitror, si interpunctionis signo, quod est inter sacerdotium et dominum sublato hanc posterioris nominis formam non accusativum singularis, sed genitivum pluralis numeri esse statueremus; talisque interpretatio id habitura esset excusationis, quod, quamquam certis quibusdam finibus circumscriptus est eorum verborum numerus, in quibus Romani concisa hac usi sunt genitivi forma, insolentiora apud Tacitum haud pauca inveniuntur, atque vulgatis hujus formae exemplis, deum, liberum, quindecimvirum, nummum, duum unum addi potest posterum (Ann. III. 72) quod alibi nusquam me legere memini. Sed conjectura augere illorum substantivorum numerum temerarium esset; itaque dominorum scribendum idque ita interpretandum esse existimo, ut, quum Segismundus sacerdos fuisset apud aram Ubiorum, sive illa ara Augusto soli fuit dedicata, sive quod Suetonio auctore (Octav. C. 52) mihi videtur probabilius, Romae et Augusto, tyrannorum dicatur sacerdos, qua acerbiorem vix quisquam excogitare possit contumeliam. Simile opprobrium in Antonium ingerit Cicero Phil. II. 43. „O detestabilem hominem, sive quod tyranni sacerdos es, sive quod mortui.“ Erat enim Antonius flamen divi Caesaris.

Ann. III. 14.

„Sed judices per diversa implacabiles erant: Caesar ob bellum, provinciae illatum, senatus nunquam satis credito, sine fraude Germanicum interisse, scripsissent expostulantes; quod haud minus Tiberius, quam Piso abnuere."

Adeo corruptus est hic locus, inde a verbo scripsissent scensusque tantis coopertus tenebris, ut nunquam futurum esse putem, qui verum se invenisse possit gloriari. Suspicari vero quum liceat, quumque in lubrico labi minus sit turpe, quid mihi de hoc loco visum sit proferre non dubitabo. Jam primum ultima illa verba: quod haud minus Tiberius quam Piso abnuere referenda mihi videntur ad suspicionem Romae tum pervulgatam, haud invito principe interisse Germanicum, quin ea de re sive Pisoni a Tiberio, sive Plancinae ab Augusta data fuisse mandata. Hujus famae et Suetonius testis est (Tib. 52) et ipse Tacitus, qui (Ann. III. 16) dicit: Audire me memini ex senioribus visum saepius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit, sed amicos ejus dictitavisse litteras Tiberii et mandata in Germanicum continere, ac destinatum promere apud patres principemque arguere, ni elusus a Sejano per vana promissa foret; nec illum sponte exstinctum, verum immisso percussore. (Ann. II. 43, 77). Neque alienum hoc quisquam dixerit a moribus Tiberii, cui et invidiosus erat Germanicus (I. 62.) ob gloriam bello partam (I. 52. II., 26) et suspectus propter amorem, quo fruebatur I. 7. 33. IV., 57. II., 41. III. 10.) populi militumque erga eum studia eo usque progressa, ut a seditiosis imperium ei offerretur (Ann. I., 35. 52 69.) Accedebat Sejanus, odii instinctor et jam tum fortasse interitum moliens totius domus Germanici. (I. 69.) Confirmatur autem illa suspicio et laetitia Tiberii male dissimulata, qua ex morte ejus affectus (III, 2. 3. IV. 1) et crudelitate, qua in familiam grassatus est; adde quod Piso ipse non dubium habebat, se delectum, qui Syriae imponeretur, ad spes Germanici infringendas (II. 43. 82.)

Huc igitur si pertinere statuimus ultima loci nostri verba, abnuere pro inficiari dictum et expostulare sensu querendi accipiendum est. Cujus objectum sententia continetur relativa ad omissum pronomen id referenda. Similiter hoc verbo usus est Tacitus Ann. XV. 5. „Misit ad Vologesen, qui ex postularet vim provinciae illatam. His praemissis via quasi mihi videtur munita, qua satis probabilis inveniri possit sensus; totus locus ita mihi videtur scribendus:

„Sed judices per diversa implacabiles erant: Caesar ab bellum provinciae illatum, senatus nunquam satis credito, sine fraude Germanicum

interisse subscripsissent expostulantes, quod haud minus Tiberius quam Piso abnuere."

Sententia haec est: Patres non modo non insontem putarunt reum, sed accusatores, si fieri potuisset, etiam adjuvissent, societatem criminis in ipsum conferentes principem. (Variatae orationis exemplum ne plura afferam est Ann. III. 26.) Subscribere eandem quam hoc loco habet significationem Ann. I. 74. Nominum autem collectivorum cum plurali verbi numero junctorum haec ex Taciti scriptis attulisse sufficiat exempla: Ann. I. 23. 30. („pars extra castra palantes a centurionibus occisi.") III. 4. („populus — — clamitabant.") IV. 29. (vulgi rumore minitantium.) XII. 40. (valida juventus regnum ejus invadunt. Hist. IV. 57. (ut Romanus exercitus in externa verba jurarent.) IV. p. 824. De nomine Senatus vide Drakenb. ad Liv. IV. 58. 4. Adversa autem patrum studia et metuisse Pisonem et expertum esse disces ex III. 10 et 15; atque Tiberium haud ignarum, qua ipse fama distraheretur (III. 10.) falsa et ficta declarasse, quae in se jacerentur adversa, docet. c. 12.

Ann. III. 37.

„Neque luxus in juvene adeo displicebat: huc potius intenderet, diem aedificationibus, noctem conviviis traheret, quam solus et nullis voluptatibus avocatus maestam vigilantiam et malas curas exerceret."

Aedificationibus lectio est cod. Medicei, eamque recentiores Taciti editores fere omnes retinuerunt, alii ita, ut recte sic dici posse defenderent, alii haud dissimulata corruptelae suspicione; quibus ut meum quoque calculum adjiciam, hisce commoveor causis: Primum illud, quod hac potissimum re diem transigere jubent Drusum, indicare videtur aedificandi studium praecipuam maximeque conspicuam ejus luxus fuisse partem. At vero, ut Lipsius jam monuit, veterum scriptorum invenias neminem, qui hujus rei faciat mentionem. Animi fluxioris remissiorisque vitae Drusum fuisse tradit Suetonius, (Tib. c. 52) scenicis histrionibusque nimium quantum eum indulsisse ludisque gladiatoriis ita gavisum, ut crudelitatisargueretur, testis est Dio; 57, 14. 13. (cf. Tac. Ann. I., 76) idemque conviviis et potatione delectatum commemorat; atque Tacitus ipse (Ann II. 44) Drusum in Illyricum missum esse dicit a Tiberio, juvenem urbano luxu lascivientem melius in castris haberi rato. Deinde repugnare mihi videtur haec lectio iis, quae paullo ante dicta sunt. Nam quomodo is, qui aedificationibus diem transigit inter

coetus et sermones hominum ita obversari potest, ut hac ipsa re mitigari dicantur secreta patris?

Denique vix est credibile, populum voluisse, ut juvenis, qui lasciveret urbano luxu (cujus haud dubie plura erant genera, quam insanae illae substructiones) quemque aliis etiam, quibus interdiu fruamur, voluptatibus deditum fuisse constat, diem integrum nulla alia re nisi aedificando consumeret. Amoveatur igitur vox aedificationibus, quantumvis fulta sit optimi codicis auctoritate, in ejus autem locum quid sit substituendum, haud facilis est quaestio, eaque difficultate excusatum fore existimo, si mihi quoque rem acu tetigisse non contigerit. Scribendum enim mihi videtur:

„huc potius intenderet, diem taedii vitationibus, noctem conviviis traheret."

Taedii vitationes sunt variae illae actiones vel rationes, quibus quis taedium possit fugere. De hoc substantivorum abstractorum plurali cf. Roth. ad Tac. Agr. p. 113, exemplisque ibi allatis adde: venditiones hortorum et domuum (Ann. I. 73), dignationes (Ann. II. 33), recordationes (Ann. IV. 38), adjectiones familiarum (Hist. I. 78), irritationes (Germ. 19), administrationes (Agr. 19). Jam si conjecturam supra propositam probaveris, nocti id voluptatis genus tribuitur, quod hujus temporis proprium est: solebant enim luxuriosi in multam noctem producere coenam; diem autem non certo quodam eoque uno Drusum transigere jubent vitae oblectamento, sed id agendo, ut ne taedio capiatur; qua ipsa re si juvenem fingas principem, in nullis, neque publicis, neque privatis negotiis occupatum voluptatibusque deditum, cui oblectatio, qua modo fruebatur, haud dubie mox afferret satietatem, magnus profecto aperitur campus, in quo luxus possit excurrere, vitaturque id, quod Cicero (Inv. I. 41) dicit: „omnibus in rebus similitudo est satietatis mater."

Ann. IV. 65.

„Haud absurdum fuerit tradere montem eum — — mox Caelium appellitatum a Caele Vibenna, qui dux gentis Etruscae, quum auxilium appellatum tavisset, sedem eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu quis alius regum dedit."

Quum ex corruptis his Taciti verbis id tantum possit colligi, auxilii ferendi causa Romam venisse Caelem Vibennam, in incerto autem relinquatur, utrum vocatus, an sua sponte id fecerit, conjectura quoque locus sic mihi videtur restituendus, ut hac

quidem de re nihil pro certo affirmetur, idque eo magis, quod uti Walthero, ita mihi quoque vix videtur credibile, Tarquinium Priscum ab Etruscis petivisse auxilium. Itaque hac jam de causa minus probarim eorum sententiam, qui scribendum esse existimant: „auxilium appellatus tulisset," quae conjectura id quoque habet incommodi, quod, quum appellare aliquem de iis fere dici soleat, a quibus auxilium verbis petere liceat, qui vel praesentes sunt, vel ut dii, praesentes esse finguntur, hoc loco de auxilio sermo est, quod nuntiis missis erat implorandum. His praemissis meam jam, quam melioribus velim excogitatam esse auspiciis, proferam conjecturam. Legendum enim propono:

„quum auxilium ad bella latum adventavisset."

Ut quum duplex sit syllaba la altera facile potuit excidere, ita adven obliteratum esse videtur litteris praecedentibus atum. Verbis auxilium ad bella ferre similis est locus Liv. XXIX, 1, „eoque enixius ad bellum adjuverunt (Siciliae populi Scipionem.)" In verbo frequentativo adventare non puto eum offensurum, qui Tacitum frequentativa verborum forma etiam ibi uti solere meminerit, ubi neque intentenda verbi vis, neque actio cogitanda sit saepius repetita.

Ann. XI. 6.

„Ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quaestuum spectetur, quod si in nullius mercedem negotiant, pauciora fore."

Negotiant in codice legitur Mediceo, erasa post t finali littera aliqua, quumque ceteri libri manu scripti vel negotiantur exhibeant vel negotia tueantur, legendum mihi videtur:

„quodsi in nullius mercedem negotia ineantur,"

ad quam lectionem origo etiam referri potest scripturae deteriorum codicum tueantur, quia t et i, n et u litterae a librariis saepissime sunt confusae. Inire autem negotia i. e. suscipere lites quin recte dicatur, non puto, quemquam esse dubitaturum. Ita Tacitus munia inire dicit (Ann. XI. 25), stationes, vigilasque (Ann. XIII, 35), bella, (Germ. 25), et Quinct. Inst. Or. V, 12,22: „Ille, quem instituimus adolescens componat se ad imitationem veritatis: initurusque frequenter forensium certaminum pugnam etc.," similique metaphora subire occasionem in spem potentiae Tacitus dicit

(Hist. IV. 42) et Quinct. Inst. orat. IV. 1, 8: „Sed ut praecipua in hoc dicentis auctoritas, si omnis in subeundo negotio suspicio sordium abfuerit etc.“

Ann. XI. 23.

„An parum quod Veneti et Insubres curiam irruperint, nisi coetus alienigenarum, velut captivitas, inferatur?“

Quum codicum lectio captivitas probabiliter vix possit defendi, ei, qui conjectura locum emendare aggreditur, id primum erit videndum, utrum particula nisi, quae sequentem priori adnectit enuntiationem, vim habeat ironicam, quae Waltheri et Gutmanni est sententia, an post verba parum est ita sit posita, ut ascendat oratio ad id quod nimium est. Jam vero si singulas utriusque sententiae partes accuratius inter se contuleris, in posteriore nihil fere invenies, quod non ad priorem quoque apte possit referri. Nam alienigenae etiam Insubres erant et Veneti, et in vocabulo coetus non ea in est multitudinis significatio, ut non horum quoque dici potuerit coetus irrupisse curiam; irrumpere autem haud minus hostile quid significat quam inferri. Tantum igitur abest, ut ascendat oratio ad majus aliquid graviusque, ut omnia inde a particula nisi addita, nullo sensus detrimento possint abesse. Haec si recte sunt disputata, prior illa amplectenda erit particulae nisi significatio, totusque locus sic mihi videtur constituendus:

„nisi coetus alienigenarum, velut captivi, invitus inferatur.“

Quum irrupisse eos dixissent curiam, i. e. tanquam impetu facto claustra illa fregisse, quae alienigenas a curia arcerent, jam se ipsi quasi corrigunt adduntque: nisi quis dicat, id quod nemo sanus dixerit, invitos velut captivos inferri alienigenas. Quod vero vocabulum captivitas in captivi invitus mutatum est, id non ita temere factum videbitur, si reputaveris, n litteram in libris manu scriptis lineola supra scripta indicari solere ideoque saepe omitti.

Ann. XI. 28.

„Igitur domus principis inhorruerat; maximeque quos penes potentia et si res verterentur formido, non jam secretis calloquiis, sed aperte fremere,

dum histrio cubiculum principis exultaverit, dedecus quidem illatum, sed discidium procul abfuisse."

In Med. legitur exultabero. Quum ex conjecturis a recentioribus Taciti editoribus in textum receptis exultaverit indignum Taciti videatur gravitate, insultaverit autem non satis congruat cum iis, quae de histrione illo et ab ipso Tacito c. 36, et a Dione LX., 22 referuntur, excusationem mihi non defore puto, si meam quoque, qualiscunque est, de difficili hoc loco proferam sententiam. Existimans enim, finalem scripturae cod. Med. litteram viris doctis non tanti, quanti par esset, visam esse momenti, sic scribendum esse arbitror:

„dum histrio cubiculum principis misceret adulterio."

Prima verbi misceret syllaba propter similitudinem litterarum antecedentium a librario facile poterat omitti, et x et et saepe confusa esse constat. Miscere autem sensu participandi legitur Hist. IV. 41. „Africanus neque fateri audebat neque abnuere poterat: in Vibium Crispum, cujus fatigabatur interrogationibus, ultro conversus, miscendo quae defendere nequibat, societate culpae invidiam declinavit." cf. Agr. 24. Ann. XVI, 34.

Ann. XIIII. 41.

„Adjicitur miraculum velut numine oblatum: nam cuncta extra tectis tenus sole illustria fuere; quod moenibus cingebatur, ita repente atra nube coopertum fulguribusque discretum est, ut quasi infensantibus deis exitio tradi crederetur."

In cod. Med. legitur tectis actenus et quod repente moenibus cingebatur, ita atra. Omnia, quae ad corruptum hunc locum emendandum tentata sunt, commemorare longum est; una tantum conjectura, eaque maximam prae se ferens veri speciem digna mihi videtur, quae accuratius examinetur. Sunt enim, qui legendum esse existiment: cuncta extra, tecto hactenus sole, repente illustria fuere; quod moenibus cingebatur, ita atra etc." Huic lectioni id primum inest incommodi, quod particula hactenus nihil prorsus habet, quo referatur. Constat enim, hoc vocabulum terminum quasi significans, quo aliquid sit progressum, ita dici solere, ut ad ante sive dicta sive facta respiciat. Neque ullus in Tacito invenitur locus, ubi a communi hujus particulae usu recesserit; nam unum illum, qui aliquam cum nostro habebat similitudinem Agr.

c. 10, Wexius ita restituit, ut hactenus de loco sit intelligendum. Deinde minus mihi videtur miraculum, si tempestatem illam in urbem irruisse statuimus, sole jam ante obscurato. His causis adductus sic legendum esse puto:

> „nam cuncta extra tectis accensis sole illustria fuere, quod moenibus cingebatur, repente ita atra nube etc."

Ita servatur cod. Med. scriptura tectis et removetur, quod hoc quidem loco dici vix potest, hactenus et additur quod miror neminem adhuc desideravisse, temporis notatio, quo miraculum exstitit, i. e. eo ipso tempore, quo ignis tectis est immissus. Particulam ita autem propterea ante atra ponendam esse putavi, quod ea est adverbii repente significatio, ut tali non egeat additamento. cf. Ann. XIII. 17. In campo tamen Martis sepultus est (Brittannicus), adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram deorum portendi crediderit."

Ann. XIV. 7.

> „Tum pavore exanimis, et jam jamque affore abtestans vindictae properam, sive servitia armaret, vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium et vulnus et interfectos amicos objiciendo, quod contra subsidium sibi, nisi quid Burrus et Seneca expedirent? Quos statim acciverat, incertum an et ante ignaros."

In omnibus libris legitur: incertum et ante ignaros. Jam quaeritur, quo sensu particula et sit accipienda. Pro etiam quominus positam esse statuamus, ut referatur ad unum, quod proxime sequitur, adverbium ante (ut Hist. III, 72): „Arserat et ante Capitolium civili bello, sed fraude privata," ipse totius loci impedit sensus; nam qui nunc ignari non fuerint, dici non possunt etiam ante fuisse ignari. Waltheri autem interpretatio, qui et ad utramque vocem sequentem pertinere et verba ante ignaros cum illis statim accitos conjungere censet, propterea mihi videtur improbanda, quod, quum ita duae quasi conjungantur sententiae, acciverat eos statim et acciverat ante ignaros formula incertum an, quae haud dubie ad posteriorem pertinet enuntiationem, non praeponi, sed postponi debebat particulae copulativae, cf. Ann. XI. 18. „quae nimia et incertum an falso jacta originem tamen e severitate ducis traxere." Cicero de senect. c. 20. „Moriendum enim certe est, et id incertum an eo ipso die." Quum igitur et hoc quidem loco pro etiam accipi nequeat, alia autem ut explicetur ratione

praepositum illud incertum an non concedat, alii hanc particulam ejiciendam, alii ignaros in gnaros mutandam esse censuerunt. Mihi scribendum videtur:

„quos statim acciverat nec ante ignaros."

Facile enim n littera propter eandem in fine antecedentis vocis positam a librariis omitti poterat; quo facto quid mirum, si es in et mutatum est? Similis huic loco est Ann. III. 29. Sed neque tum fuisse dubitaverim, qui ejusmodi preces occulti illuderent. Illam autem dicendi rationem, qua aliquid ita affirmatur, ut negetur contrarium, apud Tacitum quoque esse frequentissimam, multis illis, quos notavi, locis facile possum ostendere.

Jam vero sunt, quibus haec loci interpretatio propterea videatur improbanda, quod talium virorum, quales erant Burrus et Seneca, minus dignum sit nominibus, si nefarii Neronis consilii jam ante fuisse dicantur conscii. His priusquam respondeam, pauca de significatione dictionis incertum an mihi videntur praemittenda. Loci, in quibus Tacitus hac formula usus est, hi fere sunt: Ann. V, 1. Exin Caesar cupidine formae aufert marito, incertum an invitam. VI, 50. Neque fefellit, nam Tiberius incertum an offensus tantoque magis iram premens, instaurari epulas jubet. XI. 18. Quae nimia et incertum an falso, jacta originem tamen e severitate ducis travere. XI, 22. Postquam tormentis dilaniabatur, de se non infitiatus conscios non edidit, incertum an occultans. XV. 64. Hortantibus militibus servi libertinique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae. Hist. I. 23. Sed sceleris cogitatio incertum an repens. I. 75. Et stetit domus utraque, sub Othone incertum an metu: Vitellius victor clementiae gloriam tulit. Ann. I. 5. Gnarum id Caesari; neque multo post exstincto Maximo, dubium an quaesita morte, auditos in funere ejus Macciae gemitus, semel incusantis, quod causa exitii marito fuisset. Omnes hos locos, si quis accuratius perspexerit, confirmatam inveniet Waltheri sententiam, qui formulam incertum an a Tacito poni dicit, ut suspicionem falsi moveat contra opinionem plurimorum et vulgarem. Id que maxime apparet ex Ann. XIV, 51. Concessit vita Burrus, incertum valetudine an veneno, ubi addit: plures jussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, illitum palatum ejus noxio medicamine asseverabant, et ex Ann. XV. 64, ubi verbis supra jam allatis addit: nam non defuere, qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse, deinde oblata mitiore spe blandimentis vitae evictam; quibus verbis causam affert, cur non sine aliqua dubitatione opinionem tradiderit plurimorum. Waltheri igitur sententia pro fundamento posita

eo etiam, quem nunc tractamus, loco statuendum erit ex plurimorum opinione Burrum et Senecam non tum demum a Nerone in consilium esse adhibitos, sed antea jam sceleris, quod moliebatur, fuisse non ignaros. Idque quum Dionis confirmatur testimonio (60, 12.) tum vulgi etiam respondet ingenio et per se ad deteriora prompti (Tac. Ann. XV, 64) et potentissimum quemque maxima invidia persequentis. Nec defuisse Senecae et Burro invidos inimicosque testis est Tacit. Ann. XIII. 18, 42. XIV, 11. 52. Atque illud ipsum, quod Nero, simulatque audivit frustra caedem matris esse tentatam, hos potissimum accivit viros, augere potius quam minuere debet illam suspicionem, praesertim quum in Neronis oratione insidiarum, quas matri struxerit, nulla fiat mentio, Burrus autem et Seneca ita agunt et loquuntur, ut omnium gnari fuisse videantur. Atqui aliud est, nosse nefaria principis consilia, aliud probare: neutri autem ea placuisse, quid dicere attinet in talibus viris? Hinc longum etiam utriusque silentium, quod Neronis exceperat verba,

---

Ann. XV. 35.

„Jussi accusatores objicere prodigum largitionibus neque aliam spem quam in rebus novis esse. Quin eum nobiles habere, quos ab epistolis et libellis et rationibus appellet, nomina summae curae et meditamenta."

Cod. Med. qui ne innobiles. Haec pauca Medicei verba tantam jam excitaverunt conjecturarum nubem, ut mirum non videatur, si quis viam quaerens ad veram Taciti scripturam ferentem incertus dubiusque haereat. Sed quo obscuriora sunt, in quibus versaris, eo facilius erranti dabitur venia. Haud cunctanter igitur hanc corrupti loci propono emendationem:

„quin et innotuisse habere, quos ab epistolis — — appellet."

Quam frequens particularum quin et apud Tacitum sit usus, ex his jam videre licet locis: Ann. II, 21. V, 2. VI, 24. XII, 5. 13. 57. XIII, 5. 13. 27. XIV, 15. 26. 58. XV, 18. 58. 65. XVI, 3. 22. Hist. II, 88. 95. III, 39. 47. 58. IV, 37. V, 19. Verbum innotescere legitur Hist. IV, 50. Or. 10. enotescere Hist. III, 34; pernotescere saepius. Pronomen eum ante habere neminem puto desideraturum; et libertos, quod nonnulli pro corrupta voce nobiles in textum receperunt, aeque supervacaneum est, quum libertis mandari solerent ea, quae commemorantur, principis ministeria. Scriptura

autem codicis Med. profecta mihi videtur a librario, qui quum pro tu legisset bi, monstrum, quod ita prodiit, forma sibi nota induere voluit.

Ann. XV. 74.

„Quod quidem ille decernebat tanquam mortale fastigium egresso et venerationem hominum merito, quorundam ad omina dolum sui exitus verteretur. Nam deum honor principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.“

Corrupta cod. Med. verba quorundam ad omina dolum sui recentiores Taciti editores ita emendare studuerunt, ut pronomen sui pro integro haberent. Quod num recte fecerint, licet dubitare. Nam excidisse quaedam Taciti verba, quae nonnullorum est sententia, propterea minus videtur probabile, quod nullum lacunae in Mediceo apparet indicium; deinde vocabulum exitus, in quo maxima est vis, praeponendum erat pronomini; denique, id quod caput est, desideratur significatio propinqui exitus. His de causis sui quoque corruptis verbis accensendum totusque locus ita scribendus videtur:

„quum tum jam ad omen ac votum citi exitus verteretur.“

Citi Jac. Gronovii, ad omen ac votum mea est conjectura in progr. anni 1843 proposita. Quum eadem significatione, quam h. l. habet, legitur Hist. II. 26. Vinctus praefectus castrorum Julius Gratus, tanquam fratri apud Othonem militanti proditionem ageret, quum fratrem ejus Julium Frontonem tribunum Othoniani sub eodem crimine vinxissent. cf. Ann. III, 3. 53. 76. IV, 11. V, 7. XII, 68. XV, 57. Hist. II, 30. 62. IV. 3. Germ. 41. Adverbia temporis tum jam discrimen indicant, quod inter hoc tuerit omen et praesagium futurae ultionis, paullo supra commemoratum: illud enim in praesens haud animadversum. Citus autem vel simile adjectivum vocabulo exitus propterea addendum videtur, quod verba decreti quam maturrime tanti sunt momenti, ut ab interpretibus illis negligi prorsus non potuerint.



Nachrichten über das Schuljahr 1858—59.

A. Allgemeine Lehrverfassung.

In den 6 Classen des Gymnasiums wurden folgende Unterrichts-Gegenstände abgehandelt:

In Prima.

Religion. 2 St. Die Lehre von der Gnade und den Gnadenmitteln. Der besondere Theil der Sittenlehre. Wiederholung der Kirchengeschichte nach Martin. Herr Religions-Lehrer Regens Strecke.

Für die evangelischen Schüler der Prima und Secunda 2 St. Die Lehre von der Religion und Offenbarung. Fortsetzung der 2. Periode der Kirchengeschichte: Lehre und inneres Leben der abendländischen Kirche. Von der 3. Periode bis 1546. Lesen eines Theils des Evangeliums St. Johannis und der Apostelgeschichte im Grundtexte. Wiederholung der Hauptstücke und der gelernten Psalmen. Hr. Sup. Bärthold.

Deutsch. 3 St. Literaturgeschichte und Declamationsübungen nach Bone's Lesebuche 2. Theil. Rhetorik, Uebungen im freien Vortrage nach vorher entworfenen Dispositionen. Schriftliche Aufsätze, theils häusliche, theils Klausurarbeiten über folgende Themata:

1) Autobiographie der neu eintretenden Primaner.
2) Wie kann man sich vor Täuschungen in der Wahl der Freunde bewahren?
3) Warum ist grade die Jugend Täuschungen in der Wahl der Freunde am meisten ausgesetzt?
4) Warum wollte Sokrates nicht aus dem Kerker entfliehen, obwohl es ihm leicht gemacht wurde?
5) Umarbeitung eines vor längerer Zeit gelieferten Aufsatzes nach freier Wahl.
6) Welchen Einfluss übte der feste Glaube der Römer an ihre Bestimmung zur Weltherrschaft auf die Förderung der Grösse Roms?
7) Wie muss man Lob und Tadel aufnehmen, um dadurch geistig und sittlich gefördert zu werden.